

qui non sine causa Apollini dicati sint, sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur: sic omnibus bonis, et doctis esse faciendum. Nec vero de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret, diligenter de animo cogitantibus, quod iis saepe usu venit, qui acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut adspectum omnino amitterent: sic mentis acies, se ipsa intuens, nonnunquam hebescit: ob eamque causam contemplandi diligentiam amittimus. Itaque dubitans, circumspectans, haesitans, multa adversa reverens, tamquam rate in mari immenso nostra vehitur ratio. Sed haec et vetera, et a Graecis. Vetat dominans ille in nobis deus, injussu hinc nos suo demigrare. Quum vero causam justam deus ipse dederit, ut Socrati: nae ille, medius fidius, vir sapiens, laetus ex his tenebris in lucem illam excesserit: nec tamen illa vincla carceris ruperit (leges enim vetant); sed tamquam a magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic a deo evocatus atque emissus, exierit. Tota enim philosophorum vita, ut ait idem, commentatio mortis est. Nam quid aliud agimus, quum a voluptate, id est, a corpore, quum a re familiari, quae est ministra et famula corporis, quum a re publica, quum a negotio omni sevocamus animum? quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad se ipsum advocamus, secum esse cogimus, maximeque a corpore abducimus? Secernere autem a corpore animum, nec quidquam aliud est, quam emori discere. Quare hoc commentemur, mihi crede, disjungamusque nos a corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc et, dum erimus in terris, erit illi coelesti vitae simile: et quum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum. Nam qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam quum soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vincti multos annos fuerunt. Quo quum